Trocisci pro fumo tempore pestis Leonardi Fioravanti.

℞. arsenic. crystallin.
cinnabar.
carabe,
myrrha,
thuris an. ℥ij.
sarcocoll.
picis græcæ,
benzoin. an. ℥j. in mortario omnia Misceantur & cum aceto destillato trocisci formentur, carbonibus tempore pestis iniiciendi.

OFFICINÆ

PHARMACEVTICAE, SIVE ANTIDOTARII PARS ALTERA, DE MEDICAMENTIS EXTERNIS, TRIBVS adhuc libris distincta;

ET PER PETRVM VFFENBACHIVM REIP. MOENOFRANCOFURT. Medicum ordinarium vbique aucta. In quorum priore de omni oleorum genere disseritur: quibus Appendix additur de Balsamis.

PRÆFATIO.

MEDICAMENTA topica, seu quæ extrinsecus adhibentur, multa sunt, vt *sotus, epithema, litus, collyrium, lotio, frontale, cataplasma, synapismus, dropax, vesicatorium, scutum, sacculi, cucufa*, & pleraque alia, quæ in rem præsentē parantur, nec diu sine alteratione & corruptela seruantur, de quibus abunde *lib. 5. nostrarum Institutionum* egimus. Alia multos menses, & aliquando annum integrum bienniumve ad futuros vsus sine virium iactura in officinis possunt asseruari, vt *olea, cerata, vnguenta, & emplastra*, de quibus hac secunda parte officinæ à nobis instructæ disserere statuimus; quorū vsus & gratior & toleratu facilior est, quam eorum, quæ per os ingeruntur. Hæc enim sæpius morbum oppugnando ventriculum subuertunt, appetitum tollunt, tormina excitant, & totam naturæ œconomiam turbant: vnde medicamenta & potiones rarissime dari iussit Cornel. Cels. *cap. 3. lib. 3. de re medic.* Nam cum vix iustissima dosi exhibeantur: exhibita ad arbitrium sua munia non exequantur, cum sæpe moueant, nec promoueant, aut humorem laudabilem foras propellant, noxium deserant,

Cornelium Celsum medicamenta interna raro exhibuisse.

aut malam internis partibus intemperiem relinquant, interdum periculosa sunt. Nouit enim quendam Medicum non satis prudentem Aetius *cap.* 84. *ser.*1. *tet.*2. qui à male exhibito medicamento hominem peremit: *Topica* vero *tutiora sunt*, quæ non tantum ad vitia externa, sed etiam interna vsurpantur. Nam quemadmodum ob ea, quæ foris apparent, interdum purgatoriis ac reliquis medicamentis, quo exuperantem humorem coerceamus, vtimur: ita & ob ea, quæ intus infestant, foris emplastra, olea, vnguenta & illitiones plerumq; damus. *Actuar.cap.*7.*lib.*6. *meth. med.* Siue enim stomachus laboret, aut iecur, renes, aut aliud quodpiam viscus ex interioribus afficiatur, non parum opis ex istis medicaminibus foris adhibitis accedit. *Prima* siquidem *omnium medicamenta externa fuerunt*, quibus sola duce natura, ac citra experientiam olim veteres vsi sunt; atque nunc adhuc viri agrestes ictu, aut casu, aut alia re scindente vel contundente læsi, sine delectu, obuiam quamlibet plantam assumunt, & affectæ parti admouent: sed felicem exitum, qui robore naturæ nonnunquam accidit, medicamenta interdum noxio tribuunt. Quæ autem externa medicamenta optima sint, quæ in pharmacopoliis asseruanda, & quo modo paranda, in his tribus libris ostendimus. Atque vt in tribus superioribus, à liquidioribus, nempe *syrupis* orsi, mox crassiora, vt *eclegmata*, dein crassissima, vt *electuaria*, postea solidissima vt *pilulas & trochiscos* optima methodo descripsimus, sic in his posterioribus ab *oleis* auspicati, statim *vnguenta* spissiora, dein *emplastra* crassissima subiũgemus. Ab oleis igitur initium sumentes, à quibus *cerata*, *vnguenta*, & *emplastra* magnam suæ compositionis partem mutuantur; primum loquemur de his, quæ per impressionem seu infusionem parantur; dein ea examinabimus, quæ per expressionem trahuntur; postremo ea attingam, quæ per ascensum & descensum eliciuntur.

Prima medicamenta fuisse externa.

OFFI-